primonio abste locupletatum video. et quod maius ac maius est, et
ad feneris cumulum accessio, nomine Baptista viro Insigni, sed et
eius me donas opibus .i. egregio musarum thesauro, que et Cresi
gazis, et Crasi divitiis antepono. Quid igitur faciam? hoc tam
multiplicatum peculium repudiabo? minime vero, presertim cum sit eo
calor in nos, id te auctore defensore, ac patrono factum
honeste, ac iure apud quos vis iudices tueri possim. ne tamen
huius tam preciosi muneris ingratus existimer. Altero te donare
Amico constitui domino Ruberto strocio suavissimi adolescente
ingenii, Indolisque non inferioris, et qui preclare suorum stirpi
moribus, et virtute respondeat. Resolvo et versus quosdam, qui
ad debiti diminutionem si videbitur computabuntur, ne tamen
ere graver alieno. Faxollum nusquam comparuisse video. Vereor
ne nostri Ancipites, quibus id leguminum genus gratum esse
solet devoraverint. Curabo tamen, ut tuum quamprimum ad te
non dicam volet volumen ne aucupes intercipiant, sed tutum
deveheatur in compedibus. Vale. musarum decus, et legum sple
ndor. Ferrarie vii kall. Januarii:

Guarinus Veronensis :- d. ca. sacco :-

GUARINUS veronensis domino Catoni sacco s. p. d.
Ecce solita tibi mitto munera virum scilicet egregium
dominum Thobiam veronensem in itinere, non modo disciplinatum
iure, verum etiam benivolentia, caritate, pietate devinctum. Est
enim amabilis inprimis morum suavitate. ingenio. doctrina.
Quid expectas ut eum illum tibi commendem? Ego non id superfl
uum censui, expertus qua fide. humanitate. liberalitate. meos
tractare soleas. Itaque iam nunc cogito, quibus verbis tibi pro tuis in
eum meritis gratias agam. que verba si tuis paria meritis
non fuerint, totum me tibi tradam, sin id parum quoque videbitur,
organum tibi conferam undecim fistulis compactum fistulis de
quo ipse d. thobias planius explicabit, quem commendo,
et trado fidei. Vale vir ingens nomine, sed re ipsa ingentior.
Ferrarie. xviii. maii :-

-: Parnomita :-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1592/0098
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG